



Rectè monet Arist. *lib. 4. Polit. cap. 4.* quod hæ tres prudentiæ possint esse in uno eodemque subiecto; Sic fieri potest, ut in uno subiecto sit architectonica prudentia, deliberativa, & iudiciaria. Sicut idem potest esse Miles, Orator & Artifex; imò vix una pars prudentiæ sine beneficio alterius rectè exerceri potest. Sicut verò lex in Republica alia est communis, conveniens cuilibet civili societati; Alia propria, quæ saltem respicit certam aliquam Rempublicam, Hinc jurisprudentia dici potest alia universalis, quæ post Architectonicam seu Legumlatricem proximè occupatur circa jus universum, sive id sit de negotiis publicis, seu privatis: Alia verò jurisprudentia particularis, quæ circa unius alicujus populi jura legesque ex arte generali deductas, versatur. Vid. Joachim. Hopper. *de vera jurisprudentia lib. 1. tit. 1.* qualis est jurisprudentia Hebræorum vel Romanorum, quæ tanquam species à genere à priori differt, participat tamen multa communia ratione generis & similium. Hæc verò non absolvitur nuda peritia legum positivarum, sine aptitudine leges ad actus civium applicandi, verùm etiam comprehendit, ut Jctus sciat: An leges positivæ latæ sint Reipublicæ utiles: An sint rogandæ, an abrogandæ: quale judicium à Jcto fieri nequit, nisi primò noscat, quid sit conveniens simpliciter naturæ humanæ & cuilibet Reipublicæ, deinde illius populi & Reipubl. in qua vivit, indolem & instituta. Nam uti Medicus, judicare de statu alicujus ægroti non potest, nisi teneat ipsam artem medicam, & deinde ægroti sui constitutionem: ita etiam Jctus non potest ferre aliquod judicium, An leges in Republica latæ sint rogandæ an abrogandæ, nisi sciat primò ipsam artem politicam seu civilem prudentiam, quæ leges singulis statibus